

no I habetur in cap. *Adrianus 22*, dist. 63, et Othoni I a Leone VIII, ut habetur in cap. *In synodo 23*, eodem dist. 63. (17. Non valet, inquam, quia canones illos esse apocryphos, commentitios et fictitios scribunt cardinal. Bellarminus, *De Summo Pontifice*, l. II, cap. 22, et *De clericis*, cap. 9, in *Apolog. pro responsione sua ad lib. regis Angl.*, cap. 7, tom. VI suorum *Operum*; cardinal. Baron., *Annal. eccl. ad an. 526*, num. 555, et praesertim *ad ann. 774*, a num. 10, et *ad annum 964*, a num. 22; Suarez, *De defensione fidei cathol. contra Anglicanae sectae errores*, lib. III, cap. 29, num. 7; Azorius, *Institution. moral.*, part. II, lib. IV, cap. 2, quaest. 3; Jacobus Grexer., in *Apologia Baron.*, cap. 1 et 2; Seraphin. de Freitas, *De justo imperio Lusitan. Asiatico*, cap. 6, num. 100 et 101; Solorzan., *De jure Indiarum*, l. II, cap. 22, num. 39, tom. I; Bonacina, *De election. Pontificis*; quaest. 1, punct. 1, proposit. unic., num. 9; Fagnan., in cap. *Accipimus*, De pactis, num. 64, et alii plures apud cardin. Petram, *loc. cit.*, num. 26, dicentes fabellam et imposturam esse a Sigiberto monacho Gemblacensi schismatico historico, atque imperatoris Henrici partes adversus Romanos Pontifices propugnante, in fine suae *Chronographiae* adjectam. Hic enim in gratiam schismatici imperatoris Henrici vindicantis sibi Ecclesiarum investituras, eosdem canones primus contextuit, cum nullus plane alius, qui ante eum scripserit, res Francorum, de recensitis in illis vel levem mentionem fecerit, ut notarunt Coriolanus in *Breviario* ad annum 774; Spondanus, ad eundem annum, num. 3; Gonzalez lib. I *Deer.*, tit. 6, cap. 6, n. 12, plures allegans. Qui omnes nimiae credulitatis, prout in aliis fuit, et levitatis virum appellant suae canonum collectioni improprie nimis consarcinaverit. Unde Cabassut., *Notit. ecclesiastic.* ad ann. 1274, dissertat. 2; *ad Concil. Lugdunens. II*, numer. 4, dicit, canones allegatos cum eo qui praecedat, merito deberi ex collectione expungi et obliterari.

(18. Sed quatenus praedictis canonibus aliqua esset adhibenda fides, tamen confirmatio electionis, quam ex asserto indulto Apostolicae Sedis tunc temporis concedebant imperatores, non conferebat Papae auctoritatem Papatus, alioquin Papatus esset ab imperatore, quod est haereticum, cum sit a Deo tantum; cap. *Omnes 1*, et cap. *Sacro-sancta 2*, dist. 22, cum similibus, sed solum dabat robur facto, ut schismatici et haeretici non auderent contravenire, ut optime probant cardinal. Turrecremata, in dict. cap. *Adrianus*, n. 1, Fagnan., *loc. cit.*, num. 65, et alii plures. (19. Tum quia Papa non potest alteri impertiri facultatem eligendi Summum Pontificem, quia regula juris est quod nemo possit per alium facere, quod per se ipsum facere non potest; cap. *Nemo 79*, De regul. juris, in 6, ibi: « Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur. » Nemo enim dat,

quod non habet; cap. *Dalbertum 24*, caus. 1, qu. 7, cap. *Quomodo*, De consecrat., dist. 4; cap. *Quod autem 5*, De jurepatronat. Papa autem nequit sibi eligere successorem, ut supra probatum est a num. 2, et neque de consensu cardinalium potest facere constitutionem, quod Summus Pontifex possit sibi successorem substituere, ut supra, num. 12. Unde tanto minus potest concedere imperatoribus jus eligendi et confirmandi Summum Pontificem. Sic optime probant card. Alban., in tract. *De cardinalibus*, qu. 32; Fagnan., *loc. cit.*, num. 66, et alii passim.

(20. Imo cum post decretum Nicolai II relatum in cap. *In Nomine Domini 1*, dist. 23, in quo notat cardin. Petra, tom. IV *Commentar. ad constitut. 5 Clementis VI*, n. 33, ad sedandas seditiones, tumultus et rixas, quae in electione Summi Pontificis oriebantur, sancitum fuerit ut electio Papae a cardinalibus episcopis perageretur, ac deinde reliqui cardinales, clericus ac populus Romanus ad eam comprobendam accederent, salvo tamen honore et reverentia Henrici imperatoris. (21. Cum adhuc quandoque ex violentia imperatorum in electione Papae schismata orirentur, Alexander III qui et illa suo tempore non semel expertus fuerat, statuit in generali concilio, ut ille demum canonice electus censeretur, in quem duae ex tribus partibus omnium cardinalium consensissent, prout refertur in cap. *Licet 6*, De electione, et sic excluso cleri et populi et imperatoris consensu, qui requirebatur, attento Nicolai II decreto, in cit. cap. *In nomine Domini 1*, distinct. 22, postea tota Pontificis electio ad solum Cardinalium collegium redacta fuit per dictum Alexandrum III, in cit. cap. *Licet 6*, De elect., quod deinde fuit confirmatum, et plenius statutum a Gregor. X in concilio generali Lugdunensi relato in cap. *Ubi periculum 3*, De electione, in 6, et a Clemente V in concilio Viennensi relat. in Clem. *Ne Romani 2*, De electione. Vide Barb., *loc. cit.*, n. 55 et 56; card. Petram, *loc. cit.*, a n. 35 ad 38.

(22. Insuper, ne diurnae vacationis incommodis Romana Ecclesia premeretur, neque cardinales possent ambientium studiis corrumpi, Gregorius X in dicto cap. *Ubi periculum 3*, De elect., in 6; Clemens V, in cit. *Clementina Ne Romani 2*, De elect.; Clemens VI, in constitut. incip. *Licet*; Clem. VII, constit. incip. *Cum charissimus*; Paulus IV, constitut. incip. *Cum secundum*; Pius IV, constitut. incip. *In eligendis*; Gregorius XV, constitut. incip. *Aeterni*, et alias ejusdem Gregor. incip. *Decet Romanum Pontif.*; Urbanus VIII, constit. incip. *Ad Romani*, et novissime Clemens XII, constit. incip. *Apostolatus officium*, plura circa electionem Papae statuerunt, quorum aliqua magis notabilia ex Barbosa, *loc. cit.*, a num. 60, et card. de Luca, in part. II, relat. *Romanae Curiae*, disc. 3, referre placet.

(23. Primo igitur ante Papae electionem, statim, priore defuncto, cardinales absentes sunt monendi, ac per decem dies a die mor-

tis Pontificis computandos, expectandi, cit. cap. *Ubi periculum 3*, De electione, in 6, et cit. constit. Pii IV in cap. *In eligendis*. (24. Si tamen ante dictos decem dies elapsos, ex aliqua justa causa praeveniendi, fiat Papae electio a communi cardinalium praesentium, vel duarum partium eorum, consensu, non expectatis cardinalibus absentibus, talis electio erit valida, cum expectatio dicti temporis non pertineat ad substantiam electionis; Lavorius, *Variarum lucubrat.*, tom. I, tit. 4, cap. 7, num. 4; Diana, part. V, tractat. 2, resolut. 75; Azorius, *Institut. moral.*, part. I, lib. IV, cap. 2, qu. 5; Bonacina, *De election. Pontific.*, disput. 1, qu. 3, in principio, a num. 1; Barbosa, *loc. cit.*, a num. 61, et alii passim.

(25. Cardinales absentes non sunt solemniter convocacione vocandi, seu citandi eo modo, quo de jure in aliis electionibus, et actibus capitularibus alii electores sunt vocandi. *Glossa* in cit. c. *Ubi periculum*, verb. *Decem dierum*, et ibi Archidiaconus, verb. *Expectare*; cardin. de Luca, par. II, *Relat. Romanae Curiae*, disc. 3, num. 27; Lavor., *loc. cit.*, tit. 4, cap. 7; Mendoza, in *Regul. 32 Cancellar.*, qu. 8, num. 8; Barbosa, *loc. cit.*, num. 62 et alii. (26. Cardinales praesentes solent certiorare cardinales absentes de obitu Pontificis per litteras a secretario sacri Collegii subscriptas. Barbosa, *loc. cit.*, num. 63; Lavorius, in fine dicti tit. 4, pag. 554, ubi dat formulam ipsarum litterarum.

(27. Cardinales absentes, licet desint ex publica causa, et de licentia Romani Pontificis, ad electionem successoris expectandi non sunt ultra decem dies. Pius IV, in d. const. incip. *In eligendis*, § *Declarandis*. (28. Cardinales praesentes per novem dies debent celebrare exsequias defuncti Pontificis cit. c. *Ubi periculum 3*, De electione, in 6, § *Quia vero*.

(29. Secundo, dum exsequiae per dictos novem dies a cardinalibus celebrantur, singulis diebus cardinales non impediti in basilica Vaticana conveniunt, et ante dictarum exsequiarum celebrationem congregari solent in ejusdem basilicae sacristia, ut principum oratores, ac etiam officiales et magistratus audiant, aliasque congruas praebent provisiones pro utriusque principatus regimine, ac etiam pro conclavis ordinatione, quod intra id temporis fabricari debet in Pontificio palatio, nullo intermedio pariete, et ibi commanere debent cardinales, donec per ipsos Summus Pontifex fuerit electus, cit. c. *Ubi periculum*, § *Hoc sacro*.

(30. Decima vero die, celebrata prius in eadem basilica missa de Spiritu sancto, cardinales in Urbe existentes, et legitime non impediti processionaliter conclave ingrediuntur; legitime autem impediti solent sero privatum ingredi, cardinalibus jam existentibus in propriis cellis, quae per sortem absque aliqua personarum acceptione distribuuntur; per totam illam diem liber patet aditus principum oratoribus ac magistratibus et praetatis aliisque omnibus, tam

nobilibus quam popularibus conclave peragranda, atque benevolos cardinales in cellis visitandi; et praesertim principum et rerum publicarum oratores et magnates totum collegium visitant, eisque obsequia praestant, atque felices faciunt adulatorias augurationes, ut refert card. de Luca, part. II *Relat. Romanae Curiae*, disc. 3, n. 13.

(31. Omnibus autem de sero exclusis, praeter eos, qui in conclavi cum cardinalibus remansuri sunt, illud ad formam rigorosae clausurae undique redactum clauditur per ejusdem conclavis custodes, qui duo sunt fixi ac principales, ille scilicet praetatus, qui ab eodem collegio ante ingressum electus fuerit, qui conclavis gubernator dicitur; et alter saecularis, qui conclavis marescallus nuncupatur; alii vero custodes sunt praetati, ac etiam respective conservatores populi custodientes rotas, per quas victualia, aliaque necessaria transmittuntur, ad formam clausurae monasteriorum monialium; dictique custodes per turnum deputari soliti singulis diebus invigilant, ne Apostolicis constitutionibus contraveniantur circa allocationes, vel litterarum transmissionem; cit. cap. *Ubi periculum*, § *Hoc sacro*; et cit. constit. Pii IV, incip. *In eligendis*.

(32. In conclavi sub clausura, ultra cardinales, remanent regulariter duo cujuslibet cardinalis familiares, qui vulgo conclavistae nuncupantur, pro eorum servitio, solumque cardinalibus senibus vel infirmis, ac etiam iis qui de principum genere sunt, indulgetur tertius familiaris seu conclavista, ratione majoris servitii, quo indigere dignoscantur iudicio ejusdem collegii, a quo pendet concessio tertii familiaris, seu conclavistae; et tales familiares, seu conclavistae non debent esse mercatores, ministri principum, domini temporales, et jurisdictionem habentes, neque fratres, aut nepotes cardinalium, etiamsi expensis eorum viverent, sed debent esse ipsorum cardinalium vere servientes, familiares, domestici et continui commensales, cujusque respective saltem ab anno ante, et adhuc pro tunc tales existere; cit. const. Pii IV, incip. *In eligendis*, § *Qui servientes*.

(33. Ultra praedictos familiares cuilibet cardinali specialiter necessarios, remanent in conclavi alii quoque officiales vel ministri pro servitio cardinalium in communi; scilicet unus sacrista cum clerico coadjutore, duo magistri caeremoniarum qui celebranti ministrent, unus religiosus pro confessionibus audiendis, unus collegii secretarius cum uno tantum famulo; duo medici, unus chirurgus cum uno aut duobus servitoribus; duo barbitonsores, unus faber lignarius, unus caementarius; item octo, aut decem servientes bajuli publicae utilitati et commoditati omnium, veluti pro lignis portandis, et pro aliis hujusmodi ministeriis, qui omnes a collegio cardinalium, non tamen ex familia alicujus cardinalis, eligi debent per secreta suffragia: ita tamen ut is obtineat qui plura vota tuerit, et eis salaria de publico persolvantur.

tur; cit. const. Pii IV incip. *In eligendis*, § *Sacrista*.

(34. Circa cibum et potum intra conclave cardinalibus portandum, Greg. X in cit. cap. *Ubi periculum*, § *Hoc sacro* statuit, quod si intra tres dies post ingressum conclavis non fuerit electus Papa, per spatium quinque dierum immediate sequentium singulis diebus, tam in prandio, quam in cœna uno ferculo solo sint contenti, quibus, provisione non facta decursis, tunc tantummodo panis, vinum, et aqua ministrentur. At Clemens VI in constitut. incip. *Licet*, præter panem, vinum et aquam in prandio et cœna unum duntaxat ferculum, seu missum carniū utriusque speciei tantummodo; aut piscium seu ovorum cum uno portagio de carnibus vel piscibus specialiter non confectis et decentibus salsamentis habere permittit, ultra carnes solitas, herbas crudas, caseum, et fructus seu electuaria, quibus tamen nullum specialiter ferculum vult confici, nisi ad condimentum fieret vel saporem; et prohibet ut nullus de alterius ferculo vesci possit. Pius vero IV cit. const. incip. *In eligendis*, § 22, vers. *Cardinales autem*, statuit, ut primo ipso die, quo conclave ingressi fuerint, tam in prandio, quam in cœna uno ferculo unius speciei tantum, atque moderato, alias juxta constitutionem Clem. IV qualificato contenti esse debeant, et ut quispiam in alterius cella, vel de alterius ferculo vesci non possit.

(35. Tertio ad hujus rigoris observantiam constituuntur executores ex præcipuis magistratibus civitatis, ubi electio celebratur, qui, præstito juramento, curare debent, ut prædictus ordo, rigorque servetur, d. c. *Ubi periculum*, § *Præterea*. Romæ autem sunt prælati diversorum graduum, qui bis in die singulis diebus, mane scilicet, et vesperi mutantur; intimaturque a cursoribus, servato ordine eorum omnium qui in Romana curia reperiuntur, incipiendo a patriarchis, sequentibus archiepiscopis, episcopis, cæterisque prælati, juxta ordinem eorum promotionis, semperque assistit gubernator burgi, et duo cursores pro occurrentibus necessitatibus, tam collegii quam prædictorum gubernatorum; qui quidem prælati sub perjurii pœna, ac suspensionis a divinis, maxima et exquisita diligentia uti debent in inspicendis et perscrutandis epulis quæ prandii et cœnæ tempore afferuntur, ac aliis rebus et personis conclave intrantibus et de eo exeuntibus, ne sub earum rerum velamine litteræ aut notæ vel signa aliqua transmittantur: si qui vero reperiantur, qui contra prædicta aliquid commiserint, familiares cardinalium, aut alii delinquentes pœnam privationis officiorum et beneficiorum, ac inhabilitatis ad obtenta et obtinenda incurrunt, et ulterius per gubernatorem carceribus mancipandi erunt, et inde nisi de mandato novi Pontificis minime relaxandi, sed ejus arbitrio acrius puniendi, omni facultate cardinalibus, in favorem quorumcumque, qui in præmissis, vel eorum aliquo deliquerint, omnino interdicta, prout latius

continetur in sæpe cit. constit. Pii IV, § *Prælati*, et § *Quia vero*.

(36. Electio autem Summi Pontificis est celebranda ab ipsis tantummodo cardinalibus. Sic in primis statuit Nicolaus II anno 1059, in *Conc. Rom.* c. 2, cum hoc tamen, quod facta a cardinalibus episcopis Summi Pontificis electione, deinde reliqui cardinales, clerus ac populus ad eam comprobendam accederent, prout expresse habetur in c. *In nomine Domini* 1, dist. 23, et notat cardin. Petra. tom. IV *Comm. ad Const.* § *Clem. VI*, n. 33. Et hic mos eligendi Pontificem perduravit usque ad tempora Alex. III optime meriti de hac mea patria Alexandrina civitate, utpote qui eam sede episcopali condecoravit, et suo nomine appellandam pro sibi præstita fidelitate, obedientia et ope constituit. Unde quia pro simili electione, et approbatione constituta a Nicolao II adhuc quandoque schismata oriebantur, hic providissimus Pontifex Alex. III in generali Lateranensi concilio statuit, ut ille demum canonice electus censeretur, in quem duæ ex tribus collegii cardinalium partes consensissent, et sic excluso cleri et populi consensu requisito ex supra laudato decreto Nicolai II, in cit. c. *In nomine Domini* tota Pontificis electio ad solum cardinalium Collegium redacta est per ipsum Alexandrum III, ut expresse patet in c. *Licet* 6, De electione. Unde, ut dicit Onuphrius in annotatione ad vitam d. Alexandri III, in electione Lucii III sui immediati successoris, ea tunc primum redacta fuit ad solos cardinales, clero omnino et populo a Summi Pontificis electione exclusis; et lex salutaris a dicto Alex. III in concilio generali Lateranensi anno 1179 celebrato lata de duobus tertiiis suffragiorum cardinalium ad evitanda in posterum schismata, executioni mandata fuit, quod dicit sibi constare ex ejusdem Pontificis diplomate apud se asservato. Et hæc facultas eligendi Summum Pontificem solis cardinalibus demandata, fuit confirmata, et plenius statuta a Gregorio X in concilio Lugdunensi 1274 celebrato, ut habetur c. *Ubi periculum* 3, De electione, in 6, et a Clemente V in concilio Viennensi 1310, prout refertur in Clementina, *Ne Romani* 2, De electione, et ex post fuit semper in ipsis inviolabiliter conservata. Barbosa, lib. 1 *Juris ecclesiastici univers.*, c. 1, n. 55 et seq., cum pluribus aliis ibi citatis, et alii passim.

(37. Unde cardinales omnes, etiam nuper creati et publicati vocem habent in electione Pontificis, etiamsi nondum insignia cardinalatus acceperint, neque os clausum, aut si clausum fuerit, nondum tamen apertum sit. S. Pius V, sub die 26 Jan. 1571, const. quam refert Jul. Lavorius, *Variar. lucubrat.* tom. 1, aet. 4, cap. 6, num. 21, et citat Fagnan. in cap. *Licet* 6, De electione, num. 19; Barbosa, *loc. cit.*, num. 62; Bonacina, *De electione Pontific.*, qu. 1., punct. 1, proposit. unica, num. 4; Diana, part. v, tract. 1, resol. 74 et alii. Et idem quoque statuit Gregorius XV, const. incip. *Decet Romanum Pontificem*, in Cæremoniali, § *Porro*. (38.

Cardinales omnes ad electionem Pontificis admittuntur, quamvis excommunicati, suspensi, aut interdicti; Clement. *Ne Romani* 2, De electione; Pius IV, constitut. incip. *In eligendis*, § *Et ne dissensiones*; Gregorius XV, const. incip. *Æterni*, vers. *Volumus etiam*.

(39. Cardinales vero nondum ordinati ad diaconatum in electione Pontificis vocem non habent ex constitutione Pii IV incip. *In eligendis*, § *Statuimus*. Idem quoque statuerunt Sixt. V, constitut. incip. *Postquam*, § *Neque posthac*, et Greg. XV, in *Cæremoniali* ipsius jussu composito et confirmato ab ipso constit. incip. *Decet Romanum Pontificem*; et ab Urbano VIII, constit. incip. *Ad Romani*; quibus tamen constitutionibus et *Cæremoniali* quoad hoc hactenus derogare solent Summi Pontifices, quando cardinales nondum diaconos creant, et de hoc expedire jubent breve particulare, ut testantur Lavorius, *loc. cit.*, cap. 9, n. 22; Barbosa, *loc. cit.*, num. 72, cardinalis de Luca, part. II, *Relat. Romanæ curiæ*, disc. 3, num. 10, et alii.

(40. Si ante factam electionem plurimi cardinales decedant et recedant et nolint electioni intervenire, electio pertinet ad solos superstitis electioni interessentes, quamvis duo tantum remaneant, quia unus potest eligere alium. Anan., in c. final. *De appellat.*; Lavorius, *loc. cit.*, cap. 6, num. 25; Sylvester, verb. *Excommunicatio* 9, n. 2; Barbosa, *loc. cit.*, num. 74, et alii passim.

(41. Imo quamvis unus solus remanserit ad ipsum spectabit electio. *Glossa* in cit. Clementin. *Ne Romani* 2, De electione, verb. *Omnes*; Alban., *De cardinalibus*, quæst. 23 et 25; Laudens., *De cardinalibus*, quæst. 15; Panvin., *De offic. et potestat. capituli, Sede vacante*, prælud. 5, num. 8; Manfred., *De cardinalibus*, dec. 268, 269 et 291; Villadieg., *De orig. et potest. card.*, quæst. 5, num. 26; Bonacina, *De legibus*, disp. 1, qu. 1, punct. 3, et *De elect. Pontific.*, quæst. 1, punct. 1, § 4, num. 2, disp. 1; Barbosa, *loc. cit.*, num. 74, et alii passim; jus enim et nomen universitatis propter casus supervenientiam conservari potest etiam in una so'a persona; L. *Sicut* 7, § 2, ff. *Quod cujuscumque universitatis nomine*, et ibi Bartol. *Glossa* in l. *Neratus*, ff. *De verbor. signif.*; card. de Luca, part. II, *Relat. Romanæ curiæ*, disc. 3, num. 9; Albanus, *De cardinalibus*, quæst. 24; Barbosa, *loc. cit.*, num. 74 et alii. *Vide* verb. *ELECTIO*, art. 2, num. 5, et art. 4, n. 23 et 24.

(42. Non posset tamen ille eligere seipsum, arg. c. *In scripturis* 9, caus. 8, quæst. 1; cap. *Ad nostram* 7, De instit.; cap. *Per nostras* 26, De jurepatron., et *Glossa* communiter recepta in cap. *Cum in jure* 33, De electione, verb. *Ex se vel aliis*. *Vide* verb. *ELECTIO*, art. 3, num. 28, art. 2, num. 6. (43. Abbas autem in cap. *Licet in fine*, De electione, dat remedium quo possit talis cardinalis seipsum eligere, ut scilicet is totius sacri Collegii nomine alteri eligendi potestatem demandet qui veluti compromis-

sarius ipsum eligat. Albanus vero, *De cardinalibus*, quæst. 14, dicit talem opinionem Abbatis procedere, quando ille solus remansisset, cæteris exeuntibus vel absentibus, non autem mortuis. *Vide* Barbos., cit. lib. 1 *Juris ecclesiast. univ.*, cap. 1, n. 74.

(44. Si omnes cardinales (quod Deus avertat) morerentur ante factam electionem Pontificis et nullus exstaret, non conveniunt doctores ad quem spectaret Pontificis electio. Multi enim dicunt quod in hoc casu electio spectaret ad canonicos Lateranenses, quorum Ecclesia est propria Sedes Pontificis super omnes orbis et Urbis, et hanc sententiam aliis probabiliorum et tutiorum dicunt Abbas, Hostiens., Ludovicus Roman. in c. *Licet* 6, De electione; Imola, in Clementin. *Ne Romani* 2, De electione; Barbosa, *ibid.*, num. 23, et *De jur. Eccles. univers.*, lib. 1, num. 75; divus Antonin., part. III *Summæ*, tit. 22, § 2, num. 5; Lavorius, *Variar. resol.*, tom. 1, tit. 4, cap. 6, num. 27; Azorius, part. II, lib. IV, num. 2, quæsit. 11, Dionysius, *De vera quatuor patriarchar. sedium erectione*, cap. 16, num. 13; card. Petra, tom. IV *Comment. ad const.* § *Clementis VI*, num. 20, et *ad constitut. Gregorii XI*, num. 14. Alii vero affirmant quod in tali casu electio Pontificis spectaret ad concilium generale, quia Pontifex non solum urbis Romæ sed totius Ecclesiæ universalis est Pastor. Sic Decius, in cit. cap. *Licet* 6, De elect., Aug. de Ancona, in *Summa*, quæst. 5, art. 3 et alii. Nonnulli tamen dicunt tunc temporis electionem Pontificis pertinere ad patriarchas. Sic Baldus, in l. *Ubi absunt*, ff. *De tutor. et curator.*; Conrad., in *Templum omnium judic.*, lib. 1, § 2, n. 6.

(45. Sede vacante tempore concilii generalis legitime congregati, electio Pontificis spectat ad cardinales et non ad concilium. Diana, part. v, tract. 2, resolut. 73; Bonacina, *De electione Pontif.*, quæst. 1, puncto 1, § 4; Barbosa, cit. cap. 1, num. 76, et alii plures. Unde in concilio Pisano, in quo tanquam dubii Pontifices Gregorius dictus XII et Benedictus dictus XIII de Sede depositi fuerunt, non quidem deponendo veros Pontifices in ratione auctoritativa, sed in ratione declarativa, aperiendo scilicet quod neuter eorum bene et legitime occuparet Sedem Papalem, eamque pro vacua, seu vacante habendam, cardinales conclave ingressi et non concilium, elegerunt in Summum Pontificem Petrum Philargi (vel Philareto) ex meo Minorum ordine, archiepiscopum Mediolanensem, virum magnæ sanctitatis et eximie doctrinæ, qui appellari voluit Alexander V. Item in concilio Constantiensi, in quo, tanquam dubii Pontifices, Gregorius dictus XII, Joannes dictus XXIII, et Benedictus dictus XIII, eodem modo, quo supra, de Sede depositi fuerunt et declarata Sede vacante, cardinales et non concilium, elegerunt in Summum Pontificem Odonem, seu Othonem Columnnam, virum tum claritate sanguinis tum nobilitate virtutum undequaque insignem, postea Martinum V appellatum. *Vide Historiam ecclesiasticam* erudi-

tissimi Patris Ignatii Hiacynti Amat de Graveson, tom. VI, fol. 500, postremæ impressionis Venetæ, ubi de electione Alex. V sic præcise habet: «Cardinales numero viginti quatuor, concordibus suffragiis die 14 Jun. 1409 in Summum Pontificem elegerunt Petrum Philargum, vulgo de *Candia* nuncupatum, ordinis Fratrum Minorum, cardinalem et archiepiscopum Mediolanensem, qui Alexandri V nomen sibi sumpsit.» Et eodem, tom. VI, fol. 110, de electione Martini V, sic præcise habet: «Concordibus suffragiis die 11 Novemb. 1416, Odo de Columna, patria Romanus, ex illustrissima Columnensium prosapia oriundus, cardinalis tituli S. Georgii in Velabro, seu ad Velum Aureum, Pontifex Romanus electus est, dictusque Martinus quintus, qui tamen juxta ordinem Romanorum Pontificum, qui eo Martini nomine nuncupati fuerunt, dicens esset Martinus III.» Et eodem tom. VI, a fol. 248, iterum commemorat electionem Alexandri V, et a fol. 270, electionem Martini V. Vide ibi (169).

(46. Licet ex quibusdam canonibus antiquis videretur non posse eligi in Summum Pontificem, nisi qui esset cardinalis; ut innunt cap. *Oportebat*, 3, et cap. *Nullus* 4, dist. 79. (47. Tamen nunc potest eligi etiam non cardinalis. Cardinal. de Luca, *Relat.*

(169) Hic notandum in electione Summi Pontificis Martini V, pro illa vice duntaxat, et ex cardinalium consensu, adhibitos fuisse sex viros ex unaquaque natione, Italica, Gallica, Anglicana, etc., qui una cum ipsis cardinalibus electionem hujusmodi peregerunt.

Id ex actis ipsis concilii Constantiensis exploratissimum est, hoc sane pacto. «Ad laudem, etc., ut electio futuri Romani Summi Pontificis proxime celebranda firmiori auctoritate, et plurium roboretur assensu, et ne, attento statu Ecclesiæ super dicta electione, in posterum ulla retractio, ullusque scrupulus in mentibus hominum resideat,.... Sacrosancta synodus Constantiensis, communi utilitate pensata, de speciali, et expresso consensu, et voluntate concordis sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium in eadem synodo personaliter existentium, et collegii eorumdem, ac omnium nationum præsentis concilii, ordinat, statuit et decernit, quod hæc vice duntaxat ad eligendum Romanum et Summum Pontificem, una cum cardinalibus sex prælati vel alii honorabiles personæ ecclesiasticæ in sacris ordinibus constitutæ, de qualibet natione in eadem synodo pro tunc existentes, quos, seu quas quælibet ipsarum nationum pro se ad hoc infra decem dies duxerit eligendas; ipsis cardinalibus adjungantur. Quibus omnibus eadem synodus eligendi Romanum Pontificem, secundum formam hic expressam (quatenus opus est) tribuit facultatem, videlicet, quod ille absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus cardinalium in conclavi existentium, et a cujuslibet nationis duabus partibus eisdem cardinalibus adjungendorum, et tunc adjunctorum, electus fuerit, et receptus, quodque non valeat electio, nec electus pro Summo Pontifice habeatur, nisi duæ partes cum cardinalibus ad eligendum adjungendorum, et tunc adjunctorum consentiant, et consenserint in Romanum Pontificem eligendum. Statuit insuper, ordinat, et decernit, quod vota quorumcumque in electione hujusmodi emittenda, sint nulla, nisi (ut præmittitur) duæ partes cardinalium, et duæ partes

Romanæ Curie, dist. 3, num. 22 et sequent., et alii infra citandi. Colligitur ex cap. *In nomine Domini* 1, dist. 23, vers. *Eligatur*, et cap. *Licet* 6, De electione, ubi Alexander III statuit quod «ille absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus (scilicet cardinalium) concordantibus electus fuerit, et receptus.» Et post hanc Alexandri III constitutionem sex numerantur non cardinales, qui ad apostolatus apicem electi sunt; videlicet Urbanus IV, Gregorius X, Cælestinus V, Clemens V, Urbanus V et Urbanus VI, ut recte observat Fagnanus, lib. 1 *Decret.*, in cit. cap. *Licet* 7, De electione, n. 15. Vide tamen const. 50 Sixti V incip. *Postquam*, § 2.

(48. Imo etiam laicus potest valide eligi in Pontificem maxime ob eximia vitæ merita et clericorum inopiam. Cælestinus enim V ex eremo vocatus, cum nec esset in sacris, Pontifex est creatus; colligitur ex *Cæremoniari Romanæ Ecclesiæ*, ubi datur forma ordinandi eum, qui ex laico fuerit assumptus. Sic tenent *Glossa* in cap. *Si quis pecunia* 9, distinct. 79, verb. *Non apostolicus*; Decius, in cit. cap. *Licet* 5, De electione, num. 9; LAVORIUS, *Variar. resolut.*, tom. 1, lit. 4, cap. 12, num. 10; BARBOSA, lib. 1 *Juris ecclesiast. univers.*, cap. 2, num. 53, cum pluribus ibi

ejuslibet nationis adjungendorum, et tunc, adjunctorum prædictorum præsentialiter, seu per accessionem in unum concurrant. Apud Philippum Labbe, *Sac. Conc.* tom. XII (Lutetiæ Parisiorum); Conc. Constant., sess. XL, pag. 243, col. 2, *De modo ac forma eligendi Papam.*

Quibus coherenter Cabassutius, *Notit. eccles. histor. Concil.*, in *Synopsi. histor. sæcul.*, xv, num. 20, hæc tradit: «Nominati sunt nationum electores cardinalibus ista vice duntaxat adjungendi, qui simul omnes preparatum.... conclave sunt ingressi. Atque isti simul tertio post die.... elegere in Summum Pontificem Odonem Columnensem.... qui.... Martinus V dici voluit.» Et rursus in *Notit. eccles. sæc.* xv, § 43, in hæc verba scripsit: «Electi sunt nationum electi, hoc utpote extraordinaria vice cardinalibus adjungendi, num. 50 erant, vero cardinales viginti, qui ex tribus obedientiis ad concilium convenerant. Hi omnes simul conclave... ingressi... simul... Summum dixere Pontificem Odonem Columnensem.»

Sic pariter Natalis Alexander: «Denique (ait) forma eligendi Romanum Pontificem præscripta est de consensu cardinalium, ut scilicet hoc vice duntaxat, ad eligendum Romanum Pontificem, ipsis adjungerentur sex prælati vel alii honorabiles personæ ecclesiasticæ in sacris ordinibus constitutæ, de qualibet natione in eadem synodo pro tunc existentes, quos, seu quas quælibet ipsarum nationum per se ad hoc infra decem dies eligeret. Utque nemo verus et legitimus Pontifex haberetur, nisi a duabus partibus cardinalium, et ab adjunctorum e qualibet natione duabus etiam partibus electus esset.» *Hist. Eccles. sæcul.* xv et xvi, dissert. 3, *De concil. Constant.*, num. 42. Neque P. Graveson hisce per nos deductis adversatur, sed tantum in locis a Lucio nostro allatis breviori calamo rem enarrat. Cæterum id duntaxat pro re historica assequenda notatum volumus, procul ab infirmando auctoris doctrinam, quam ultro sequimur. (*Editores Casinenses.*)

citatis, et num. 78; Boet. Epo. lib. 1, *De regul.*, num. 208, pag. 137, ubi dicit quod laicus interim Pontifex mitra nihilominus ornatus clericatum suscipit, ac ad ordines omnes ecclesiasticos promovetur.

(49. Nec electionis validitatis obstabil, si uxoratus in Pontificem eligatur, quia si uxore consentiente hoc contingat, videtur eam cogi posse, ut convertatur prout arg. c. *Qui uxorem* 10, caus. 33, quæst. 5, resolvit Archidiaconus in cit. cap. *Si quis pecunia* 9, dist. 79, et tenent Fagnanus, *loc. cit.*, num. 13, cum duplici *Glossa* ibi citata. Machado en su *Perfetto confessor*, tom. II, lib. IV, par. VII, tract. 4, docum. 2, num. 3; Bonacina, *De electione Pontif.*, disp. 1, quæst. 2, in princip., num. 4; Barbosa, *loc. cit.*, num. 79 et alii. (50. Si autem vir absque licentia uxoris ad Summum promoveretur Pontificatum, posset ab ipsa revocari et ei debitum reddere teneretur; quia cum hoc sit debitum justitiæ, non potest lædi per pontificatum, quamvis bona fide assumatur, eo quod uxor mortua credatur. Ita Abbas in c. *Constitutus*, n. ult., De convers. conjug., et in cap. *Uxoratus*, num. 1, eod. tit.; Sylvester, in *Summa*, verb. *Matrimon.* 8, quæst. 12, dist. 2; Majol., *De irregul.*, lib. 1, cap. 34, num. 3; Perez, lib. 1, gloss. 3, versic. *In tantum*, tit. 1, lib. v *Ord.*, p. 23; Flamin., Paris., *De resign. benefc.*, lib. III, quæst. 18, num. 126 cum sequent.; Sanchez, *De Matrim.*, lib. VII, disp. 38, num. 12; Azor., *Inst. moral.*, part. 1, lib. XXIII, cap. 14, quæst. 13, in fine; Trot., *De vero et perfecto clerico*, lib. II, cap. 8, num. 3; Barbosa, *loc. cit.*, num. 80, et alii.

(51. Femina Papa esse non potest, *Communissima* arg. c. *Nova* 10, De penitent. et remissionibus. (52. Hinc fabulosissimum est illud, quod aliqui scribunt, feminam quamdam sub nomine Joannæ fuisse electam Romæ in Summum Pontificem. Quomodo enim potest rationabiliter dici, quod Christus Dominus voluerit permittere Pontificatum et claves Ecclesiæ committi uni femine peccatrici, cum nec suæ sanctissimæ Matri Virgini Mariæ commiserit; cit. c. *Nova*, De penitent. et remissionibus, ibi: «Quia licet beatissima Virgo Maria dignior et excellentior fuerit apostolis universis, non tamen illi, sed istis Dominus claves regni cælorum commisit.» Unde merito rejicitur communiter hæc fabula de Joanna papissa, ut videre est apud Panvin., in *Annot. ad Platinam*; cardin. Bellarmin., tom. II, controvers. 3, c. 24; card. Baron., in *Annalib. ecclesiast.*, anno Christi 853; Spondan., eodem anno, num. 6, vers. hoc ipso anno; Bonac., *De legitima Summi Pontificis electione*, quæst. 3, in princip., a num. 2; Barbosa, *loc. cit.*, num. 82; Graveson., *Histor. eccles.* tom. III, fol. 307, ad 312, postremæ impress. Venetæ; et innumeros alios (170).

(170) Non omittendi tamen fuerant, qui Joannæ papissæ fabulam penitus convellerunt, Philippus Labbeus in *Joannæ papissæ cenotaphio everso*, et

(53. Eligendus in Summum Pontificem congruit, ut sit maturæ ætatis; sanctus enim Hieronymus contra Jovinianum, p. 1 *Epistol.*, lib. v, cap. 24, dum causam perquirrens, quare Christus potius Petrum elegerit quam Joannem, quem summo prosequeretur amore, dicit postposuisse Joannem juniorem Petro seniori, illique propterea commisisse Ecclesiæ regimen. Unde ex hac, et aliis rationibus, et juribus Joannes de Selva, *De benefc.*, par. III, quæst. 5, num. 14; Bonacina, *loc. cit.*, num. 83, et alii plures tenent, non posse eligi in Summum Pontificem minorem triginta annis. (54. Cum enim Papa comprehendatur sub nomine episcopi, et de facto ipse se episcopum nominet, debet saltem esse constitutus in illa ætate quæ requiritur pro episcopis, pro quibus sub verb. *Ordo*, art. 2, num. 44, ex variis juribus ibi adductis, diximus requiri ætatem triginta annorum completorum. Si tamen eligeretur in Summum Pontificem aliquis nondum in tali ætate constitutus, electio esset valida, ut de facto fuit valida reputata et habita electio Joan. XII vix nati annos duodeviginti, ut testatur Graveson, *Histor. eccles.*, tom. IV, fol. 71, supr. impressionis Venetæ; Baronius, *ad annum* 955, n. 3 et 44, et alii; et electio Benedicti IX decem annorum pueri, ut testatur Graveson, *loc. cit.*, fol. 89; Vincentius Fuga, in *Comp. notitiæ orbis sacri et profani*, fol. 187; Baronius, *ad ann.* 1003, num. 6, ubi dicit fuisse electum puerum annorum circiter duodecim, uti ex aliis refert etiam Berninus in *Hist. omnium hæresum*, t. III, cap. 3, fol. 24 et alii. Cum enim supradicta ætas solùm de congruentia requiratur in Summo Pontifice, si minor eligatur, dummodo usum rationis habeat, ejus electio non erit invalida. Sic cardin. Jacobat., in tract. *De conc.*, lib. III, art. 2, vers. *Et idem de infante*; Majol., *De irregul.*, lib. II, cap. 30, num. 23; Campanil., in *Diversor. juris canon.*, rub. 5, cap. 9, num. 5; LAVORIUS, *loc. cit.*, tit. 4, cap. 22, num. 5 et 6; Didac. Narbona, *De ætate ad omnes actus humanos requisita*, anno 30, qu. 3; Perez de Lata, in *Compend. vitæ hominis*, cap. 27, num. 22; Machado, *loc. cit.*, tom. II, lib. IV, document. 2, num. 4; Roderic. a Cunha, in cap. *Episcopus*, dist. 77, num. 27; Barbosa, *loc. cit.*, num. 83, et alii passim. Vide verb. *Ætas*, num. 8 et 9.

(55. Modus seu forma pro eligendo Summo Pontifice habetur in constit. Greg. XV incip. *Æterni Patris Filius*; et in alia ejusdem Greg. incip. *Decet Romanum Pontificem*: ubi traditur ad id cæremoniale observandum, et in const. Urbani VIII incip. *Ad Romani Pontificis providentiam*; ubi tam dicta constituit. Gregorii XV de electione, quam hujusmodi cæremoniale, approbatur et confirmatur.

eminentissimus Garampus in celeberrima *De nummo argenteo Benedicti III* dissertatione; Romæ 1749, in-4.